



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

409. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

186 R E G I N O N I S L I B . I.  
bus Romanis , integra & plena libertas.

Quòd carta libertatis in ambone sit legenda.  
*Ex Concilio Triburienſi.*

Burchard. lib.  
2. c. 21.

C C C C V I I . Ut nulli de servili conditio-  
ne ad sacros ordines promoteantur , nisi priùs  
à dominis propriis libertatem legitimam con-  
sequantur ; cujus libertatis carta ante ordina-  
tionem in ambone publicè legatur ; & si nullus  
contradixerit , rite consecrabitur. Porrò si de  
gradu deciderit , ejus sit conditionis cuius fue-  
rat ante gradum.

*Caput istud non extat in vulgatis editioni-  
bus Concilij Triburienſis. Extat autem etiam  
apud Burchardum & in veteri collectione ca-  
nonum MS. in bibliotheca regia. Postrema  
porrò illius pars , quæ mutila est apud Regine-  
nem , sic supplenda est ex Burchardo & vett-  
ri illa collectione. Porrò servus non canoni-  
cè consecratus , postquam de gradu cecide-  
rit , ejus sit conditionis cuius fuerat ante  
gradum.*

De ordinatione. *Ex Concilio Neoca-  
ſarienſi.*

Concil. Neo-  
caſar. c. 11.  
Lib. 1. Capi-  
toliar. c. 50.  
Burchard. lib.  
2. c. 10.

C C C C V I I I . Presbyter ante trigesi-  
num ætatis ſuæ annum nullatenus ordinetur,  
licet valde fit dignus , sed hoc tempus obser-  
vetur. Nam Dominus noster trigesimo ætatis  
anno baptizatus est.

De Diaconibus. *Ex Concilio  
Carthaginensi.*

Concil. Car-  
thag. 3. c. 4.

C C C C I X . Item placuit ut ante xxv. an-

nos ætatis nec Diaconi ordinentur nec virgines consecrentur.

Burchard. lib.  
2. c. II.

Qui partem digiti sibi abscidit, Clericus esse non debet. *Ex epistola Felicis Papæ.*

CCCC X. Qui igitur partem digiti abscidit volens, hunc ad clerum canones non admittunt. Cui verò casu hoc accidit, & Clerici possunt fieri, & si in clero fuerint reperti, non abici. [ *Vide Innoc. III. lib. 10. ep. 124.* ]

Decreta In-  
noc. I. c. 28.  
Burchard. lib.  
2. c. 14.

Ne inliterati ordinentur. *Ex epistola Gelasij Papæ.*

CCCC XI. Inliteratos quoque aut aliqua parte corporis imminutos nemo præsumat ad clerum provehere; quia nec litteris carens facere esse potest aptus officiis, & vitiosum nihil Deo prorsùs offerri legalia præcepta sanxerunt. Similiter qui se ipsos abscidunt.

Decreta Gela-  
sij c. 17.

Ne criminosi ad clerum assumantur.

*Ex eadem epistola.*

CCCC XII. Ne criminosi ad clerum admittantur. Ait enim Apostolus: *Manum nemini citò imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.*

Decreta Gela-  
sij c. 18.  
Lib. 7. Capi-  
tular. c. 50.

Ut dæmonibus similibusque passionibus inretiti ministeria sacra tractare non debeant. *Ex eadem epistola.*

CCCC XIII. Usque adeo sanè competimus inlicita quæque prorumpere ut dæmonibus similibusque passionibus inretitos mysteria sacrosancta tractare tribuatur. *Et post*

Decreta Gela-  
sij c. 19.  
Burchard. lib.  
2. c. 20.